

panem et poculum benedictionis,¹²³ hoc est conuentum, in quo dicuntur pre-
 cationes, gratiarum actiones et quod ad hunc finem destinatum est, non vt
 nutriat corpus, sed vt Christi fiat commemoratio. Aetas deinde posterior haec
 symbola nominat corpus et sanguinem Christi in vsu, interdum etiam extra
 5 vsum respiciendo tamen eo, quod vsui iam destinata sunt. Haec forma lo-
 quendi sumpta est ex consuetudine sermonis diuini, quam etiam Christus et
 apostoli retinuerunt. Non dubium est enim vocem diuinam res externas, vbi
 et cum quibus Deus vult esse efficax, secundum suas patefactiones nominare
 sedem et habitationem Dei. Propitiatorium erat sedes Dei, non quod Deus
 10 illud spacium essentia sua magis repletet quam alia loca, sed quod arca desti-
 nata erat non ad finem oeconomicum, sed vbi fieret compellatio veri Dei et
 quod Deus promiserat, in eo loco exauditorium se preces populi. Et sunt alia
 exempla pene similia: „Agnus est pascha“,¹²⁴ hoc est symbolum mactationis
 et beneficiorum Christi, item „Hic est sanguis foederis.“¹²⁵ Neque dubium
 15 est Christum ad istas phrases veteris testamenti respexisse vel potius eas reti-
 nuisse. Nominatur enim panis corpus Christi, vt intelligamus eum destinatum
 esse ad vsum mysticum, videlicet vt sit σφραγις promissionis euangelij et vt
 commonefiamus hac appellatione vere in vsu nobis ea donari, quae de-[35:]
 notant symbola. Dicunt veteres corpus Christi ingredi in os, cadere in terram,
 20 gestari in canistro,¹²⁶ non quod ponant aliquam substantialem et pontificiam
 vnionem, sed quia hac phrasi sacramentali significare volunt huius panis ali-
 um esse vsum quam panis communis, qui est pabulum nostri corporis.
 Hanc vero esse mentem vetustatis, apertissime euincunt haec argumenta:
 I. Ipsi veteres propositionem Christi exponunt sacramentaliter de symbolo,
 25 de typo, signo, figura corporis.¹²⁷ Ergo et ipsorum locutiones sacramentaliter
 accipi necesse est. II. Etiam extra vsum panem nominant corpus Christi, vt
 iam exempla citauimus. Ergo loquuntur solum de relatione, non vero de con-
 iunctione geminae substantiae. III. Necesse est has phrases eo modo intelli-
 gi, ne constituentur contradictiones aduersus articulum de veritate humanae na-
 30 turae in Christo, quem tanto cum labore munierunt veteres.

Sic igitur expresse inquit Augustinus: „Corpus Christi dicimus illud, quod ex
 fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum sumimus in memori-
 am dominicae passionis“¹²⁸ et recitat alibi regulam perspicuam: „Rei signa-
 tae nomen tribui signo vt per metonymiam.“¹²⁹ Norunt vero eruditi hanc con-
 35 suetudinem metonymicam etiam aliis linguis esse visitatam, sicut Homerus

¹²³ Vgl. I Kor 10,16.

¹²⁴ Vgl. Lev 14,13.

¹²⁵ Ex 24,8.

¹²⁶ Vgl. etwa Augustin, Locutionum in heptateuchum liber III. Locutio Levitici 13, in: PL 34, 517 (CChr.SL 33, 425,60–63).

¹²⁷ Vgl. Anm. 114.

¹²⁸ Augustin, De trinitate III, 4, in: PL 42, 874 (CChr.SL 50, 136,40–43).

¹²⁹ Vgl. Augustin, De magistro IV, 9, in: PL 32, 1200 (CChr.SL 29, 167,91–101).